DISPUTATIO JURIDICA
DE
ADJECTO,

Quam

DEO dante

Permiſſu & authoritate Magnifici Nobiliſſimi & Ampliſſimi, hujus loci, JCtorum Ordinis

PRÆSIDE

VIRO

Ampliſſimo, Conſultiſſimo & Excellentiſſimo

DN. ERASMO UNGEPAUR,

JCto & Anteceſſore longè celeberrimo, Conſiliario Saxonico & Facultatis Juridicæ Seniore graviſſimo, Dicaſterii Provincialis & Scabinatus Aſſeſſore Spectatiſſimo, Præceptore ac Promotore ſuo obſervantiſſimè devenerando,

Publicæ Diſquiſitioni ſubmittit,

SIGISMUNDUS SIGFRID REICHHELM
Hallenſ. Sax.

Ad diem Auguſti in Auditorio JCtorum horis conſuetis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

JENÆ,
PRELO LOBENSTEINIANO.
ANNO CIↃ IↃC XXXVIII.

CUM DEO.

THESIS I.

TAnta vis eſt conſenſus, ut cùm id quod in obligationem deductum eſt, in quantum fieri poteſt præcisè debeatur, conſentienti tamen creditori, non minus in vim efficaciter tollendæ obligationis atq; alias, etiam aliud pro alio rectè ſolvi, vel etiam pro ſolutione, quæ ad ſubſtantiam obligationis refertur *l.54. ff. de ſolut. & liber.* ſatisfactio eſſe poſſit *l.52. ff. eod.* Cum enim in optimo Inſtitutionum libello, nunquam ſatis perlecto, Imperator noſter Juſtinianus jus inſinuat (ἀναγ. eſt) nobis, docetq; quomodo fiant obligationes, optima methodo ſubjiciens quibus modis iterum tollantur, dicit omnes obligationes tolli ſolutione ejus quod debetur, vel ſi quis conſentiente creditore, aliud pro alio ſolverit *pr. Inſtit. quib. mod. toll. oblig.* id quod ipſum etiam alius Imperator manifeſti juris eſſe ait. *l.17. C de ſolut. & liber.*

II. Quemadmodum autem aliud pro alio rectè volenti ſolvitur, ita omninò dubium non eſt, poſſe fieri ut & in alium pro alio derivari poſſit ſolutio, id quod contingere poteſt in negotiorum geſtore, non tamen omninò ſed vi ſubſecutæ ratihabitionis *l.58. ff. d. t.* in vero, vel ex generali vel ex ſpeciali mandato, procuratore *l.12. ff. d. t.* & non abſimili modo, operante hoc ipſum partium conſenſu in ſolutionis causâ Adjecto. §.4 *Inſtit. de inutil. ſtipul.* De quo etſi nulla in omnibus ſuis numeris abſolutam prima quod dicitur fronte inſpicere licet expoſitionem, fit tamen quod & in aliis ſæpe numero fieri amat materiis, hinc inde ſparſim latitantibus, ut inſtituta diligenti inquiſitionis indagine, tantum apprehendere liceat, quantum ut pectus noſtrum exſaturari queat, ſufficere poſſit.

 III. Adje-

III. Adjectus eſt perſona habilis conſenſu partium ſolutionis cauſa obligationi accedens. Simpliciter ita Adjectus ſalutatur à JCto Paulo *l.59 ff. de ſolut. & liber.* ternis vicibus. *l. 12. ff. de ſtip. ſerv.* & à Çajo *l.141.§.8. in f. ff. de Verb. Obl.* forte ab adjiciendo qualiter verbum aliquod intellectus gratia poteſt eſſe periodo adjectum vel non adjectum *l. 18. §. 1. de ſtip. ſerv. l. 17. eod. l. 16. §. 1 ff de Fidej. & mandat.* vel id quod ante non aderat, per continuationem adjici, uti in uſucapione *l. 3. ff de Uſurp & Uſucap.* aut cum prior emtor ut præferatur ſecundo plus adjicit. *l.7. ff. de in diem add.* Nec talis hujus vocabuli acceptio ſubvertitur, etſi non ſemper adjici ſed inſeri ſtipulationi ejus nomen dicatur. *l. 12. §.1. ff. de ſolut. & lib.* interponi *l.131.§.1. ff de V. O.* comprehendi *l. 22. ff de Condict. indeb.* complecti *l.56. §.1. ff. de V. O.* cum res eadem diverſis cognitionum animi ſymbolis proponatur.

IV. Neceſſe autem eſt ut ſit perſona habilis, qualis non eſt pater, ut cum filius ita ſtipulatur, mihi aut patri decem dari *l 95 §.5. ff de ſol. & lib.* Adjecto enim nulla obligatio adquiri debet ſed tantùm ſolutio *l.10. l.98 §. 7 ff. de ſol & lib. l. 141. §.3. ff. de V. O.* quod tamen fieret hoc paſſu accipiendo hic patrem cum poteſtate, cui obligatio per filium adquiritur *pr. I. per q. perſ. nob. ob adquir.* Quâ eadē ratione Dominus idoneus adjectioni non eſt, ut mihi aut dominis meis dare ſpôdes, ſed inutilis adjectio *l.11. ff. de ſtip. ſerv* inſtituta comparatione patris cum Domino & Filii cum ſervo in hoc tertio, quod uterq; horum alieno juri ſubjectus eſt, hic in patris ille in Domini poteſtate. *pr. I. de his qui ſui vel al.* & hæc omnia procedunt reſpectivè quoad adjectionem, cum hâc non attentâ dubitatione careat ſervum Domino, filium patri recte obligationes adquirere *d. pr. I per q. perſ. nob. obl. adq.*

V. Econtrariò Patre ſtipulante filii perſona adjectioni idonea eſt, quia æq; atq; extranei alicujus adjici poteſt, in tantum ut vel manente in poteſtate vel emancipato filio recte ſolvatur *l.56. §. 2. ff. de V. O.* Nec non & ſervi cum ſolutio plane etiam in extraneam perſonam conferri poſſit *§. 4. I. de inut. ſtip.* ſive proprii *arg. l. 5. §. fin. ff. de conſt. pecunia.* ſive alieni *l. 95. §. 7. ff. de ſol. & lib.* vel uſufructuarii *l. 25. pr. ff. de Uſufr.*

VI. Al-

VI. Alterius quoq; ſexus perſonæ excluſæ eſſe non debent *l. 45. ff. ſoluto matrim.* cum & præterea in actibus extrajudicialibus, cui & hic commode adnumerari poteſt, fæminæ munus ſubire queant *l. 7. ff. de inſtit. actione per l. 1. ff. de V. Sig.* licet ab officiis publicis & civilibus regulariter removeantur *l. 2. ff. de R. J.* Ætas quoq; pupillaris non impedit quo minus quis adjici poſſit. *l. 11. ff. de ſol. & lib. l. 95. §. 7. eod.* imò & infans adjici poteſt deducto argumento à furioſo, quod ſuppeditat *l. 5. ff. de R. J.* cujus perſona adjici poſſe dicitur *d. l. 95. §. 7.*

VII. Cum autem extraneus quilibet adjici poſſit *l. 56. §. 2. ff. d. V. O.* ſibi ut imputet neceſſe habebit ſtipulator, cùm eum adjecit à quo ſuum per mandati actionem *§. 4. I. de inut. ſtip.* conſequi non poteſt *arg. l. 23. ff. de minor. l. 27. §. 2. de recep. qui arb. recep.* vulgatum enim eſt, neminem debere eſſe ignarum conditionis ejus cum quo contrahit *l. 19. ff. de R. J.* nec audiatur allegans ignorantiam conditionis adjecti cum ſua culpa ſentiat & ita non ſentire videatur damnum *l. 203. ff. de R. J. c. damnum 86. de R. J. in 6.*

VIII. Perſona incerta quoq; adjici poteſt, ſi non quoad omne ſignum, unde de mente conſtare poſſit; tamen quoad nominis denominationem; indubitabile enim ſignum parum à nomine diſtat *l. 9. §. 8. ff. de hered. inſtit. l. 6. ff. de rebus cred.* imò & ignorantia, cui competitura ſit demonſtratio, nullam inducit incertitudinem *l. 7. §. 1. ff. de contrah. empt.* Ideoq; cum debitor in chirographo poſuerit, ſe aut creditori aut alteri offerenti illud ſoluturum, quotieſcunq; tunc quis obtulerit, illi, licèt incertum erat initio quis oblaturus ſit, rectè ſolvetur, oblatio enim ejus ſignum eſt per quod deſcribitur, & quidem non ùt cuilibet fortè negotiorum geſtori tunc ſolvitur, ſed ſecundum conceptionem verborum tanquam in gratiam ſolutionis adjecto, ne actus agentium extendantur ultra eorum intentionem *arg. l. 19. ff. de rebus cred.* Eſt & perſona incerta, quæ dici poteſt quòd ſit ea, quæ incerta opinione animo alicujus objicitur *arg. §. 25. I. de legatis*, cùm alicujus ſaltem officii dignitas demonſtratur, ùt, Tibi aut

Conſuli Romano dabo, incertum enim eſt quis tempore ſolutionis ille futurus ſit, cùm non præcisè ad eum, qui jam eſt, accommodari poſſit *arg. l. 10. §. 1. ff. de annuis legatis*, item ratione alicujus Collegii, ut Tibi aut huic collegio dabo, ubi etiam perſonæ incertæ quænam in eo futuræ ſint, demonſtratio tamen certa *arg. §. 25. I. de legatis*.

IX. Occaſione ita conſideratæ perſonæ adjecti, quidnam dicendum de ſtipulatore adjiciente? hoc, quòd non ſemper ſibi, ſed & alii poſſit adquirere obligationem *l. 13. ff. de ſtip. ſerv.* ut cum ſervus Domino aut extraneo Sejo dari ſtipulatur, non verò ſibi aut Domino, quia fieret hic commiſtio perſonarum, ita ut tunc unus duorũ vicem ſuſtineret, quod tamen non procedit *l. 9. ff. de pactis*. & nulla in perſonam ſervilem cadit obligatio *l. 22. ff. de R. J.* cujus tamen capax ſit neceſſe eſt adjiciens ſtipulator, cum ſolutio veram obligationem præſupponat. Filius quoq; ſi ſibi ſtipulatur non rectè adjicit patrem ſuum, cùm non ſit verus adjiciens.

X. Poteſt tamen adjiciens Procurator alii ſub ſua perſona obligationem non adquirere, nam per eas perſonas obligationes adquirimus, quas in poteſtate habemus, aut qui his ſimiles ſunt. *l. per quas perſ. nob. obl.* cum autem is talis non ſit, obligationem quidem ſibi adquirere videtur, ſed tamen poſtea ejus effectum vi mandati cedere tenetur *l. 43. l. 45. pr. ff. Mandati.* Cæterum quoad amiſſionem, licèt clauſula liberæ pro voluntate adminiſtrandi facultatem alicui conceſſam innuat *l. 6. §. fin. ff. Mand.* non tamen alienandi vel donandi licentiam permittit. *l. 28. §. 2. ff. de pactis l. 1. §. 1. ff. quæ res pign. vel Hyp.*

XI. Circa conſenſum partium perſpicuum eſt, eum talem eſſe licitè poſſe, modò non impediatur per impoſſibilitatem *l. 185. ff. de R. J. l. 13. ff. de O. & A.* vel facti *§. 10. I. de inut. ſtip.* vel juris *l. 14. & 15. ff. de Condit. inſtit.* per perplexitatem *l. 16. eod.* per jus commune *l. 7. §. 16. ff. de pact.* per civile *l. 28. eod.* per publicum *l. 38. eod.* Contrahentibus enim licitum eſt ex conventione legem ponere. *l. 52. ff. de V. O. l. 1. §. 6. ff. depoſiti* & pacta dant legem contractui, ſi in ingreſſu & in continenti adjecta fuerint *l. 7. §. 5. ff. de pactis.*

XII. Pot-

XII. Poteſt autem adjectio fieri vel purè §. 4. *J. de inut. ſtip* præſuppoſito eſſe quoq; puram principalem, cui, ſi conditionalis erit, & niſi ea poſtea extiterit, adjectus fruſtra purè inſeritur *l. 14. §. 7. ff. de V. O.* in conditionali enim ſtipulatione tantum ſpes eſt debitum iri, proptereaq; & adjectio in ſuſpenſo erit *arg l. 12 ff. de ſtip. ſerv.* vel conditionaliter, ut licet mihi ſtipuler purè tamen quoad perſonam adjecti fieri poſſit conditionis alicujus mentio *d. l. 141. §. 7. ff. de V. O.* poteritq; etiam reſpectu utriusq; inſeri conditio ſive ea ſit quoad utrumq; eadem ſive diverſa, ita tamen ut poſteriori modo neceſſe ſit ut extiterit conditio in principalem perſonam, ſi tota ſtipulatio alicujus valoris eſſe debet, aut ſi defecerit quoad perſonam adjecti, ille hoc caſu hoc nomen perdat quaſi non adjectus *d. l. §. 8.* quæ enim certam conditionem habent ante ejus eventum efficacia nō ſunt *l. 13. §. 5. ff. de pign. & hyp. l. 213. ff. de V. S.*

XIII. Quemadmodum autem diverſæ eſſe poſſunt conditiones; ità etiam tempora diverſa, *d. l. 141. §. 6. ff. de V. O. l. 98. §. 4. ff. de ſol. & lib.* & quidem licèt ſtipulatio pura ſit, tamen poteſt in diem fieri adjectio *d. l. 98.* vel ſi diem adjectum habeat, licitum eſt vel citeriorem ſeu anteriorem, vel remotiorem circa adjectionem ſtatuere *d. d. l. l.* Sed quomodo citeriorem? & qualis ſolutio, quæ nullam præ ſe habet obligationem, nullumq; debitum? Ita, nondum quidem veniſſe diem, ceſſiſſe tamen, & tum non quidem peti poſſe, attamen ſtatim deberi quod in ſtipulationem in diem deductum eſt. *§. 2. I. de V. O. & l. 46. ff. eod. l. 213. ff. de V. S.* & ita obligationem præſentem eſſe, quæ utiq; adjectum recipere poteſt, quin etiam quod in diem debetur, ejus ſolutio ante adventum fieri poteſt *l. 70. ff. de ſolut.* Adjectus autem ſolutionis cauſa accedit [illegible] *ff. de* [illegible] *ff. de V. O.*

XIV. Porrò quoad diverſitatem materiarum, tàm quoad ſtipulantem, quàm adjectum apparet eam, ita fieri poſſe, ut non ſolùm res numero diverſa ab ea quæ in ſtipulatione eſt in adjectione eſſe poſſit *l. 98. §. 5. ff. de ſolut. & lib.* Verùm etiam ſpecie *d. l.* [illegible] *ff. de V. O. & A.* cui tamen non obſtat *l. 141.*

§. 5. ff.

§. 5. *ff. de V. O.* & adeo diverſitas admittitur ut & ſibi quinq; adjecto decem, ſtipulari quis poſſit *d. l. 98. §. 5. in f.* Poteſt etiam pro parte quis adjici alicujus rei, cui enim plus licet & integrum ſolvi poteſt, cur minus licere, & ita pars dari non deberet *arg. §. 8. I. Mand. l. 37. ff. de R. J.* Modo res talis ſit ut partialem diviſionem admittat, cum in contrario non recte ſic poſſit apprehendi adjectus, impoſſibilitatem enim tunc contineret *l 72. ff. de V. O.* niſi appareat eum tunc donationis cauſa adjectum, ut pro validitate actus reſpondeatur, cum prævidentes impoſſibilitatem facilè cogitare potuerunt actum fore nullum. *l. 31 ff. de O. & Act.* Ratione loci quoq; & facti admiſſa eſt diverſitas, cum ſibi Romæ aut Epheſi Titio dari quis ſtipulatur, vel inſulam in ſuo aut in Titii loco ædificari, *l. 98. §. 6. ff. de ſol. & lib. l. 2. §. 7. ff. de eo quod certo loco.*

XV. Conſenſus ergo qui in omni conventione & formale & eſſentiale requiſitum eſt *l. 1. ff. de pactis.* ut reſpiciatur neceſſe eſt, & quidem partium, non enim unius, ſed duorum pluriumq; in idem placitum conſenſus ſpectandus *d. l. §. 2.* Neceſſe itaq; eſt ſi actus debet eſſe validus ut reſponſio contingat ſtipulatori ad interrogata, nō per ſtrictam verborum interrogativè conceptorum repetitionem, ſed ſi modo promittat de quo rogatur, videtur in id breviter quod prolatum eſt ſpopondiſſe. *§. 5. I. de Inut. ſtip.* ſic & is ſecundum omnium opinionem ad interrogata reſpondiſſe dicitur, cum ſtipulanti ſibi aut Titio, ſe daturum reſpondet. *l. 141. § 3. ff. de V. O.* omiſſoq; in reſponſione adjecto adhuc rectè ſolvitur.

XVI. Utut autem aperte per expreſſum utriusq; partis conſenſum non pateat, ſolutionis cauſa adjectum acceſſiſſe, tamen ex eo quod qui obligationem quæſivit, perſonam cōjungit, patet nō obligationis ſed ſolutionis cauſa perſonam adjecti eſſe comprehenſam. *l. 56. §. 2. ff. de V. O. l. 98. §. 5. ff. de ſol. & lib.* liberæ enim perſonæ per extraneam non adquiritur obligatio. *§. 4. § 18. I. de Inut. ſtip. l. 11. § 6. ff. de pign. act. l. 38. § 17. ff. de V. O.* Hoc à dubitatione etiam omninò alienum non eſt, utrum per conſenſum circa adjectum vitioſum, etiam quoad obligationem ſtipulantis nihil actum fuiſſe de-

beat

beat exiſtimari? Sed licet hoc fiat ut adjectus recte non interponatur, nihilominus tamen in vigore valoris recte & utiliter manebit obligatio, tum *per l.141.§. ult. ff. de V.O.* tum per rationem quod utile per inutile non debeat vitiari, *l.29. ff de uſuris.l.1.§.5.ff.de V.O. l.8. C.ſi certum petat. c. utile 36. de R J. in 6.*

XVII. Sub partium nomine conſideranda venit perſona tàm ſtipulantis, quàm promittentis, fieriq; poteſt ut ſicuti hujus ita & illius gratia adjici quis poſſit, hisq; libera ſit eligendi poteſtas, reſpectu prioris quidem ita, mihi aut Titio utrum ego velim dare ſpondes *l.118.§.fin.ff.de V.O* reſpectu vero poſterioris cum ita expreſsè actum non eſt, tunc enim in dubio electio ei conceſſa videtur tanquam debitori. *arg.§.4.I de inut.ſtip.l.16.pr.in fine ff.de Fidej.& mandat l.12.§.3. l.106.ff. de ſol. & lib.* Ut nec immerito amplius hoc non gaudeat beneficio ſtipulator, quod cum ſibi ab initio expreſsè reſervare poterat neglexit tamen, imò etiam obſcurorum interpretatio nocere debet ei qui dixit. *l.99 ff. de V.O.l.39.ff. de pactis.*

XVIII. Reſpectu debitoris etiam ſolutio vel ab ipſo, vel ab alio ejus nomine. *pr I. quib. mod ſol ob. l.53.ff. de ſol & lib. l. 39.ff. de neg. geſt.* fieri poteſt, præſuppoſito utroq; liberam rerum ſuarum adminiſtrationem habente etiam per alium *§.2.I.quib alien licet vel non l.14.ff.de ſol.& lib.* utiq; etiam à Fidejuſſore, cui alias etiam commoda ex perſona rei provenientia competere poſſunt *l.32.ff.de Fidejuſ & mand.* cæterum in quantum hoc procedat monſtrat *l.31.ff. de ſolut.& lib.* Reſpectu creditoris in adjectum ſolutio conferri poteſt, ut vel apud ipſum maneat, ſcilicet quando donandi animo voluit ſolutionem conferri in adjectum. *l.25 pr. ff. de Uſufructu. l.131.§.fin.ff de V.O.* vel ut repetat mandati actione *d.l.131.§.4. I.de inut.ſtip l.98.§.5.in fine ff.de ſol.& lib.de quibus ambobus modis infra.*

XIX. His ita conſenſu partium geſtis efficaciter accedit obligationi adjectus, ita ut non minùs in ipſum quàm in principalem conferatur ſolutio, exindeq; ſequatur liberatio.

ipſo jure *d.§.4.J.de in util.ſtip.* protinus *l.131.§.1.ff.de V.O.* modo non alia & diverſa res in adjecto deſignata ſit, ſi enim forte hoc contigerit, eaq; res ſoluta ſit, licet ipſo jure non fiat liberatio, attamen per exceptionem defendi poteſt debitor. *l.141.§.5.ff.de V.O.* Videtur enim in tali caſu ejuſmodi ſubeſſe conventio, ut facta adjecto ſolutione quoad rem ipſi deſignatam, amplius tunc debitor conveniri non debeat. Æq; autem in adjectum atq; in principalem confertur ſolutio, quia ejus perſonam quoad ſolutionem repreſentat, dum enim adjecto ſolvitur principali ſolvi videtur *l.59.ff.de ſol.& lib.* Hinc fit ut facta partiali ſolutione in ſtipulantem, reliquum promiſſor adjecto recte ſolvat *l.71.ff.de ſolut.& lib.* & quemadmodum ante diem creditori ſolvi poteſt. *l.38.§.16.l.41.§.1.l.137.§.2.ff.de V.O.* ita & adjecto *l.98.§.4.ff.de ſol.& lib.* uti debitor ſi improbam creditori ſolverit monetam non liberabitur *l.3.ff.de rebus cred.l.3.§.1.commod.l.33.§.1.ff.de ſol.& lib.* ita nec liberabitur ſi tale quid adjecto ſolverit, quod creditor invitus non accipit. Sicut re aliena ſoluta priſtinæ obligationis vigor non infringitur *l.37.§.1.ff.mandati.l.17.& 46.ff de ſol.& lib.* ita quoq; ſi res adjecto ſoluta fuerit evicta *l.131.§.1.ff.de V.O.l.33.ff.de ſol.& lib.*

XX. Recte autem utiliterq; ut liberatio ex ſolutione proveniat, neceſſe eſt ut intra limites poſitos maneat adjectus, ſi enim forte alio in loco quam qui ſtipulationi interpoſitus fuit, ſolutionem accipiat liberatio totalis non contingit, manetq; tunc in reſiduo petitio ejus quod intereſt. *l.2.§.7.ff.de eo quod certo loco.* Is enim ultra ſolutionem in quam receptus eſt, circa obligationem, quoad quam cum principali nihil commune habet, nullam novationem formalitati ſtipulationis contrariam introducere poteſt *l.5.pr.ff.Mandati.* adeo ut nec fidejuſſorem accipere *l.23.ff de Fidejuſ.& mand.* nec pignus *l.33.ff.de pign.& hyp.* nec acceptum facere, nec donare, nec petere *l.10.ff.de ſol.& lib.* nec novare *l.10.ff.de novat.& deleg.* nec ipſi conſtitui poſſit *l.7.ff.de conſt.pec.* cum hæc omnia præcedentem requirant obligationem. *l.6.§.fin.ff.de Fidejuſ.& mand.l.5.ff.de pign.& hyp.l.24.ff.de Novat.& deleg.*

XXI. Ad-

XXI. Adjectus etiam ut ſolutionem agnoſcat non debet eſſe ignarus, quod ſit adjectus, nec invitus cogi ut ſit talis, ad contrahendum enim nemo invitus compellitur *arg. l.156.ff.de R.J.l.8.§.1.ff.de Procur.l.17.C.eod.arg.l.2.§.3.ff.de Curat. bonis dando.* inter creditorem autem & adjectum negotium contrahitur circa ſolutionis acceptionem *d.§.4. J. de Inut. ſtip.* & initio libera poteſtas eſt unicuiq; habendi vel nō habendi contractus *l.5.C.de O.& A.* nec conventio cum alia perſona in alia debet eſſe nocifera aut præjudicialis *l.27.§.4. in fine ff.de pactis.toto Tit.C.res inter alium.* Poteſt tamen cum præſens adjectioni non contradixerit aut certioratus non proteſtatus fuerit, æq; bene videri conſenſiſſe atq; ſi ab initio approbaſſet, propter ratihabitionem *l. 60 ff. de R.J.l.53.ff. Mandati.* & tunc recte conferetur ſolutio, ut teneatur etiam ſi quod ſuſcepit, non impleverit *l.5.§.1.ff.Mandati.* niſi in tempore ita renunciaverit, ut nihil interſit ejus qui ſtipulando cum adjecit & ita mandavit, *§.11.I.mand.*

XXII. Quod ſi jam de ejus conſtat voluntate poterit debitor ipſi offerre debitum, & ſi fuerit totum, partialis enim ſolutio nolenti obtrudi nequit *pr. I. quibus mod.toll. obl. l.3. ff. famil.herciſc.l.9.C.de ſolut.l.41.§.1.ff.de Uſur.* idoneum *l. 3. §.1. ff Commod.* juſto tempore *l.122.ff.de V.O.* juſtoq; loco *l. 9. ff. de eo quod certo loco. l.16. §.1. ff. de Fidejuſſor.* oblatum, adjectusq; accipere recuſaverit ſine cauſa *l.72.pr.ff.de ſolut.& lib.* poterit hoc rite obſignari *l 9.C.de ſolut.* inq; loco publico & tuto *l.28. §.1.ff.de adminiſt.tutor.* ſolenniter deponi *l.19. C.de Uſur.* quæ depoſitio pro ſolutione utiq; erit *l.72.pr.ff.de ſol.& lib.* & manifeſtè liberabit debitorem *l. 9. C.de ſolut.* præſertim cum per debitorem non ſtetit, quo minus ſatisfiat obligationi *l. 39. ff. d.t.* eritq; tunc debitor indemnis ut pro ſoluto ſit, in quo creditor vel mandatarius ejus in accipiendo moram fecerunt, *d.l.72.pr.ff. d. t.* periculumq; tunc erit adjecti ſi res ob non ſuſceptam ſolutionem qualicunq; modo deterior facta fuerit *l.21.C.mandati.* & qui citra ſuſceptum mandatum quid agit, indemnem mandatorem per omnia ſervare tenetur *l. 5. §.3. ff. mandati.*

XXIII. Quotieſcunq; nunc nihil impedimento eſt, quo minus adjecto recte ſolvatur, tunc & alii ejus voluntate ſolvi poteſt *l 95 § 7. verſ quomodo ff de ſol. & lib.* nec ita contravenitur voluntati mandantis, quia is mandaſſe præſumitur ut ſuſcipiat ſolutionem *d. §. 4. J. de inut. ſtip* Mandatarius autem commiſſum negotium, poteſt iterum alii expediendum cōmittere, & mandare. *l. 28. ff. de negot geſt. l. 8. §. 3. ff. mandati*, Quinimò fieri etiam poteſt ut voluntate adjecti non attentâ alii ſolvi poſſit, ſi modo talis ſit qui negotia ejus adminiſtraverit ut Tutor, curator &c *l 95. §. 7. de ſol. & lib.* quod tamē ſic accipiendum ut in rem adjecti ſolutio verſa ſit. Quod tamen aliter ſe habet juxta eandem legem, cùm ab aliquo ſervus adjectus eſt, ut tunc ſi aliter quam ex voluntate, ſervi, domino ſolvatur, non rectę ſatisfactum fuiſſe intelligatur; & hæc voluntas etiam patri à filiofam. adjecto expectanda eſt. Quia ubi factum continetur ibi ad perſonam reſpicitur §. 2. *J. de ſtip ſervor* ſolutio autem eſt facti. *l. 7. §. 3. ff. de Curato Furioſ.* & per conſequens perſonalis, nec ad dominum tranſitoria. *l. 44 pr. ff. de Condit. & demonſt* Servus autem quia in poteſtate eſt, nihilq; proprii niſi ex permiſſu domini habere poteſt. §. 4. *J. per quas perſ. nob. acq. l. 1. 2. ff. de V. S.* utiq; cogi poteſt ut ſolutionem accipiat, in rem domini convertat, ne omnino invalidus maneat adjectionis actus.

XXIV. Licet autem ut plurimum id quod ſolutum eſt, apud adjectum non permaneat, fieri tamen poteſt ut creditor aliquādo donandi cauſa velit quid præſtari adjecto, quia tunc mandatum in rem ſuam ipſi oblatum videtur, quod & recte fieri poteſt. *l. 8 §. ult. ff. mandati. l. 25. verſ plane & l. 55. ff. de Procurat.* quia autem liberalitates raro præſumuntur. *l. 4. C de donat.* Donationes autem ex liberalitate ſint provenientes *l. 1. pr. ff. de donat.* perſpicuum debet eſſe, donationis cauſa adjectionem factam eſſe, alias enim contra ipſum reſpondetur cum in dubio nemo liberalis putetur. *l. 50. ff. de ſolut.* perdatq; qui donat. *l. 7. ff. de donat.* quod tamē facere, pecuniamq; jactare ſtudioſus paterfamilias, aut alius quis non præſumitur. *l. 25. pr. ff. de probat. & præſ.* Inſuper quæ facti ſunt allegant

leganti probanda ſunt *l. 18. ff. d. t.* doceriq; jubentur, *l. 16. C. eod.* donatio autem utiq; factum eſt.

XXV. Quemadmodum autem ita recte alicui donari poteſt, ita quoq; requiſita quatenus valida ſit donatio non negligenda; ſcilicet ut ſi, quemadmodum primo poſt exceſſum ducentorum *§. 2. J. de donat.* deinde trecentorum *l. 34. pr. C. de donat.* ita poſtea quingentorum ſolidorum, quæ tamen mutatio numerorum non ſtatim ſolitæ levitati Juſtiniani Imperatoris, quod tamen dicere quis veritus non eſt, adſcribenda, donatio immoderata videatur, inſinuetur ſive apud competentem ſive incompetentem judicem *l. 27. & 30. C. de donat.* actis intervenientibus. *§. 2. J. d. t.* quod ut plurimum verum eſt exceptionem monſtrante *l. 34. §. 1. ff. d. t. l. 34. & 36. C. eod.* & licet propter *l. 1. ff. d. t.* videatur eſſe impropria donatio, quia tamen revera donationem continet *per l. 131. §. 1. ff. de V. O.* donationesq; omnes inter vivos inſinuandæ ſint *d. §. J. de donat.* nihil impedire poterit hunc actum apparens illa improprietas. Convenit porro utiq; & huic donationi quod cæteris, ſcilicet ut propter ingratitudinem certisq; ex cauſis revocari poſſit *l. fin. C. de revoc. donat.*

XXVI. Cum autem vel maxime adjecto donationis cauſa incumbat ejus probatio, tamen pro eo reſpondendum erit, cum res ita ut ſalva maneat per creditorem ab adjecto repeti non poteſt, ut ut enim hoc expreſsè non appareat, colligere tamen licet eum donandi animum habuiſſe, actus enim ſic fieret invalidus, qui tamen ita interpretari non debent *l. 88. ff. de V. O. l. 67. de R. J. l. 66. ff. de Judiciis*, ſed potius ut effectum aliquem ſortiantur *l. 1. §. 1. ff. quod quisq; Juris in al. l. 5. §. 2. ff. & t. quis eum qui in jus voc.* Forte ſi quis ſibi aut Titio uſum fructum ſtipulatus, translato uſufructu ad Titium, ſine interitu actus ab ipſo omnino repeti non poteſt, cum cedendo eum extraneo nihil agatur *§. 3. Inde Uſusfructu.* Et enim uſusfructus perſonæ eſt *l. 32. ff. d. t.* quam non egreditur *l. 15. ff. Famil. hercisc.* intelligitur autem hic ceſſio omne omnino jus à cedente in ceſſionarium

 abdi-

abdicando transferens, à quâ diverſa eſt conceſſio, quam diſtinctionem Accurſii eſſe dicit, nec tamen forte ipſum intellexiſſe, *Bachovius in Comment. ad Inſtit. d. §. 3. n. 6.* cæterum ea fundata eſt in *§. 1. J. de Uſu & habit.* Simile exemplum eſſe poteſt cum quis in ſuo aut Titii ſolo ædificari ſtipulatus eſt *l. 98. §. 6. ff. de ſolut. & lib.* facta ædificatione in ſolo Titii, petere ab ipſo non poterit, quia ceſſit ſolo ædificium *§. 3. J. de R. Div.* ideoq; adjectionis modus ejusmodi à donandi animo non alienus eſſe videtur.

XXVII. Cum autem adjectus cum obligatione nihil commune habeat dicaturq; ſolutionis cauſa tantum adjectus *l. 98. §. 5. & 7. ff. de ſolut. & liberat. §. 4. J. de inutil. ſtip.* ita ut licet ipſi ſolvatur, tamen hoc non fiat vi obligationis alicujus ipſi adquiſitæ, ſed propter adjectam obligationi qualificatam conditionem *l. 12. §. 3. ff. de ſolut. & lib.* attamen dicitur accedere obligationi interponiq;, ut hoc modo obligationum acceſſionibus adnumerari queat *l. 44. §. 4. ff. de O. & A.* Accedit itaq; omni obligationi, hoc præſuppoſito ut illa ab omni vitio ſit aliena, nihil enim poteſt valere adjectio, niſi quoad principalem vim acceperit obligatio *l. 141. §. 7. ff. de V. O.* nihil itaq; oberit ſive ſit naturalis ſive civilis, quoad acceſſoria enim hæc in conſiderationem nō veniunt *arg. §. 1. J. de Fidejuſ. l. 13. ff. de Condict. indeb. l. 6. §. 2. ff. de Fidejuſſ. & mandat.* ſive prætoria *l. 8. & 30. ff. de Conſt. pecun.* ſive ſimplex & pura *d. §. 4. J. de inutil. ſtip.* ſive alternativa *l. 34. pr. ff. de ſol. & lib.* ſive conditionalis *l. 141. §. 7. ff. de V. O.* ſive in dando ſive in faciendo conſiſtat *d. l. 98. §. 6. verſ. at ubi ff. de ſol. & lib.* modo non illud factum promiſſor alium præſtaturum promittat *§. 3. J. de inutil. ſtip.* aliter vero ſi ſe effecturum ut alius faciat promittat *d. l.* tunc enim non alienum ſed ſuum factum promiſiſſe videtur *l. 81. pr. ff. de V. O.* tenebiturq; *l. 72. pr. verſ. Celſus tamen ff. d. t. l. 13. §. ult. ff. de re judic.*

XXVIII. Videndum itaq; omninò ne inutile ſit principale forte ob materiam & res quæ in ſtipulationem non deducuntur *§§. 1. 2. & 21. I. d. t.* vel cauſæ potiſſimæ defectum ſcilicet conſenſus *§. 22.* perſonarū *§§. 3. 4. 6. & 41. cum ſeq. d. t.*

in

in tantum ut ne æſtimatio etiam iſtarum rerum debeatur
adjecto, ubi enim res ipſa omninò non debetur, ibi nec ejus
debetur æſtimatio §.4.*I.de Legatis.l.39.§.ult.ff. de Legatis 1.*&
quod in ſtipulatione non eſt comprehenſum, nec recte dice-
tur deberi *l.99.ff.de V. O.* Res tamen futuræ cum in obligati-
onem deducantur, tunc recte poteſt fieri adjectio, ut ut enim
adhuc in rerum natura non ſint, ut forte id quod in utero eſt
fructusq; futuri, quia eſſe poſſunt ſperāturq; *l.73.pr.ff.de V.O.*

XXIX. Cœterum quot modis invalidæ ſint ſtipulatio-
nes ulterius recenſere alienum hic foret, potiſſimum hoc eſt,
omnem adjecti valorem dependere ex validitate obligatio-
nis, acceſſoria enim naturaliter imitantur conditionem ejus
cui acceſſerunt *arg.§.29. I. de R.D. l.50. §.1.ff. de Rei vindicat.*
Sed poteritne etiam ratione ſervitiorum ex Feudó debitorū
adjici quis? & dicendum quod ſic, cum adjectionem fieri ex
genere permiſſorum ſit; illum enim cuiq; obligationi inſeri
concedunt leges, & quod in conſuetudine Feudorum com-
prehenſum non eſt, hoc ex lege ſcripta judicare poſſumus.
a F. 1.

XXX. Cum autem nihil tàm naturale ſit, quam unum-
quodq; eo modo diſſolvi quo colligatum eſt *l.35.ff. d.R.I. &
l.100 eod.* fit ut quod communi conſenſu contractum eſt, con-
trariis quoq; voluntatibus diſſolvatur §. *fin. I. quib. mod. toll.
obl.l.58. ff. de pactis*, adeoq; desinat eſſe adjectus quod primo
fuit. Ipſa etiam obligatio cum tollitur, ſublata eſt & acceſ-
ſio *l.34.§.5.ff.de Fidejuſs.l.57.§.1.ff.de ſolut. & lib.* Adjectus au-
tem, uti dictum eſt, eſt acceſſio obligationum *d.l.44.§.4.ff.de
V. O.* & cum principalis cauſa non ſubſiſtit, plerumq; nec ea
quæ ſequuntur locum habent. *l.178.ff. de R. I. l.141. §.pen.ff.
de V. O.*

XXXI. Si quoad adjectionem dies fuerit denominatus,
hoc præter lapſo adjectio quoq; periit, cum tali modo ſub-
intelligatur conditio, ut principali ſolvatur, niſi ſolutum fu-
erit dicto tempore, & ita non amplius adjecto. *l.141.§.6.ff. de
V. O.* cum id quod præfinito tempore licebat, hoc neglecto
amplius non liceat. *l.6.ff. de opt. leg.* Debitor etiam qui primo

ſolven-

ſolvendo adjecto liberabatur; ſi principali ſoli ſe ſoluturum conſtituat, vis adjecti perit *l. 8. ff. de conſt. pec.* contrarium tamen eſt ſi principali conſtituatur ſine adjectione particulæ excluſivæ *l. 59. ff. de ſol. & lib.* Principalis autem obligatio *l. 19. pr. l. 28. ff. de Conſt. pecun.* in ſuo valore permanet etſi dies *l. 4. d. t.* locus *l. 5.* perſona *l. 8. d. t.* alia conſtituatur. Si quis forte id quod Calendus Martiis Titio aut Sejo dare ſtipulatus eſt, cōſtituat ſe ſoli Titio tanquam principali calendis Juniis ſoluturum, quæri poſſet an intra tempus cōſtitutum adjecto adhuc ſolvi poſſit? & videbatur dicendum quod ſic, quia conſtitutum collatum eſt in certum ulterioremq; diem, adeoq; ſibi ſoli ut ſolvatur creditor patere nō poteſt, & hoc temporis intervallum usq; dum dies conſtitutus veniat, adhuc ad ipſum adjectum pertinere videtur. verùm potius contrarium dicendum, cum omninò mutatio per conſtitutionem interceſſerit, nec tamen adjectus, iterum adjectus ſit in tempus denuò conſtitutum.

XXXII. Propter mutationem ſtatus Adjecti etiam fit ut hoc nomine amplius non gaudeat, *l. 38. pr. ff. de ſol. & lib.* ibi ſi in eodem ſtatu maneat, & tacite in eſſe tunc hæc conditio videtur, ſi in eadem cauſâ maneat, ne ſi forte prodigo facto ſolvatur, nullam habeat efficacem mandati actionem adverſus talem *arg. l. 12. §. 11. ff. mandati.* vel monaſterium ingreſſo, *auth. ingreſſi C. de Sacr. Sanct. Eccl.* quando tamen donationis cauſa adjectus quis eſt, tunc mutatio non hoc operatur ut minus ipſi ſolvi queat, eo enim caſu nihil eſt quod ab adjecto reperatur. *l. 131. ff. de V. O. § 2. I. de donat.* vel etiam ſi non neſcius principalis, mutationis adhuc permittat ipſi ſolvi, ſibi enim tunc habet quod imputet, ſi adjecto qui in deteriorem cauſam pervenit ſolvi, conceſſerit. *l. 203. ff. de R. I.*

XXXIII. Si quoàd animum mutatus fuerit adjectus, ut ſi furioſus factus deſinit eſſe adjectus, ſolutio enim præſupponit traditionem *l. 49. ff. de ſol. & lib.* tradi autem furioſo res nulla poteſt, cum affectionem tenendi non habeat. *l. 1. § 3. ff. de adquir. vel amit. poſſ.* & voluntate deſtituatur. *l. 4. ff. de R. I.* ſicq; effectu ſuo caret ſolutio: neq; etiam principalis tunc

habet

habet quod repetat, cum ſolutio in adjectum rectè collata non ſit. Non impertinenter notandum hic venit, quod obiter notat Schneidewinus *ad d. §. 4. I. de inutil. ſtip.* quod ſi Mercator habeat aliquem amicum fortè Francfurdiæ, cui dedit poteſtatem recipiendi debita ſua, ſi tamen ille poſtea efficiatur prodigus ſcientibus debitoribus, debitores non liberabuntur ſolvendo tali prodigo &c. Nec ratione hoc etiam deſtituitur, cum eatenus tali poteſtas recipiendi debita permiſſa videatur, quatenus non factus prodigus, ut receptorum debitorum repetitio nulla reſtet, adeoq; ex præſumta mandantis voluntate à jure quaſi revocatur tale mandatũ.

XXXIV. Reſtitutis in integrum partibus, adjectus etiam deſtituitur ſolutionis receptione, ratum enim non habet Prætor quod metus cauſa geſtum eſt. *l. 1. ff. quod met. cauſ* nec malitiam alicui ſuam vult eſſe lucroſam, vel alteri ſimplicitatem damnoſam. *l. 1. §. 1. ff. de dolo malo. l. 1 ff. de minoribus.* Poſt litem à ſtipulatore conteſtatam adjecto amplius etiam ſolvi non poteſt, quamvis ante petitionem potuiſſet *l. 16. ff. de Fidejuſ. & mand. l. 57. §. 1. ff. de ſolut. & liber.* Mors demum etiam adjecti, utpote qui omnia ſolvit, mortuam quoq; facit adjectionem, adeo ut ſi deceſſerit adjectus heredi & ſucceſſoribus ejus, nihil nec rectè ſolvi poſſit. *l. 55. ff. de V. O. l. 81. ff. de ſol. & lib.* & abjectus etiam mandatarii loco eſt *arg. d. §. 4. I. de inut. ſtip.* Morte autem illius qui mãdatum ſuſcepit ſolvitur mandatum *§. 10. I. Mandati. l. 27. §. 3. l. 57. ff. eod.* prætereà etiam cum in adjectum conferatur ſolutio *d. §. 4.* illaq; ſit facti *d. l. 7. §. fin. ff. de Curator furioſ.* adeoq; perſonalis *arg. §. 2. I. de ſtip. ſervorum*, fit ut etiam cum perſona expiret. *l. 21. ff. de pactis. l. 13. ff. ſoluto matrim. l. 42. ff. de V. O.* aliud tamen dicendum ſi donationis cauſa apprehenſus eſt adjectus, licet enim certa forma obligationi illata ſit, ut aut principali aut adjecto ſolvatur *l. 12. §. 3. ff. de ſol. & lib.* quæ conditio perſonam egredi nequit *l. 44. pr. ff. de Condit.* & demonſtr. quia tamen adjectus hic in rem ſuam mandatum ſuſcepit, neq; nudus miniſter eſt, utiq; hoc modo etiam heredibus ſuis proſpicere voluiſſe videtur, cum hoc caſu per principalem nihil repeti

C poſſit,

poſſit, & quia adjectus ſi vivus manſiſſet verè dominus ſolutionis factus eſſet, plenumq; jus accepiſſet.

XXXV. Reſtat nunc dicere de actione mandati, quam adverſus adjectum principalis habere dicitur *d. § 4. I. de inut. ſtip. l. 131. §. 1. ff de V. O l 98. §. 5. ff. de ſol. & lib.* competitq; tunc cum intereſſe ejus qui mandavit cœpit *l. 8. §. 6. ff. Mandati.* & quidem ut mandatum dicatur eſſe celebratum utriusq; conſenſus requiritur *l. 1. ff. eod.* qui reſpectu principalis aperta eſt dum ità ſtipulatur ut ſolvi adjecto poſſit *d § 4.* vel præſumta dum patitur alteri ſolvi *arg l. 6. § 2. l. 18. Mandati.* Reſpectu adjecti cum is præſens fuerit adjectioni, nec recuſaverit *l 53. ff. eod.* aut abſens recipiendo tamen poſtea ſolutionem à debitore, id quod actum eſt rati habeat, ut tunc quaſi ab initio conſenſiſſe videatur, *arg l. 16. § 1. ff de pign. & hypot. l. 56 ff. de Judiciis. l. 12 §. fin. ff. de ſol & lib. c rati habitio de R. J. in 6.* Intenditur itaq; hęc actio quamprimum intereſſe cœperit ejus qui mandavit *l. 8. § 6. ff. mandati* quod fit cum mandatum per ſolutionis acceptionem conſummatum eſt, principalisq; ſibi eam habere deſiderat.

XXXVI. Sed annon etiam hoc per negotiorum geſtorum actionem æq; benè atq; per mandati expediri poſſe dicendum erit? & poterat nihil intereſſe videri illa an hac experiatur actione ſi modo ſuum conſequatur creditor. Verùm præterquam quod dicti juris textus tres optimi, mandati actionis mentionem faciant, adeoq; hi vel maximè nobis ſufficere poſſint, accedit & hoc, quod inter hæc duo non minima reperiatur diſparitas, cum negotiorum geſtio fiat dòmino ignorante *§. 1. J. de Oblig. quæ quaſi ex contr: naſc.* mandatum autem contrahentium conſenſu *l. 1 ff. mandati*, & negotia gerenti facta ſolutio liberat demum poſt ratihabitionem domini *l. 58. pr. ff. de ſol & lib.* Adjecto qui ſolvit liberatur *d. §. 4. J. de inut. ſtip.* nulla ratihabitionis requiſitione, cum jam ante conſenſus intervenit: à negotiorum geſtione utiq; quis prohibetur *l. 24. C. de negotiis geſtis.* adeò ut ſi perrexerit pro impenſis nulla reſtet actio. ibid. ut adjecto ſolvatur prohiberi non poteſt *l. 12. §. 3. ff. de ſol. & lib.* tandem & negotiorum

geſtio-

geſſio eſt quaſi, mandatum verò vetus cõtractus. *pr. J. de oblig. quæ quaſi ex contr.*

XXXVII. Non ſolum autem id quod per ſolutionem ad adjectum pervenit repetitur; ſed etiam quatenus ex re ſoluta fructus conſecutus eſt *l. 10 §. 2. ff. mandati.* aut quatenus in mora eſt ut pecuniam non habeat is qui habere debet §. 3. *ibid.* Præſtat inſuper etiam dolum & omnem culpam, ut nec minimum quod neglectum eſt culpa vacuum ſit, non vero caſum improviſum *l. 13. & 21. C. mandati.* Uſuras quas vel cum ſorte ſolutas accepit, vel ipſe ſortem fœnori dando cõſecutus eſt reſtituit, & quando vel ſortem vel uſuras in ſuos uſus convertit *d l. 10. §. 2. & 3. ff mandati.*

XXXVIII. Aliquando fit ut actio mandati inſtitui non poſſit, ſorte cum res in eum caſum pervenit à quò incipere non poteſt, ut cum is qui rectè adjiciebatur cuiq; rectè ſolvebatur, deinde furioſus factus, aut cum furioſus eſſet, non tamen conſenſu curatoris cum ipſo agebatur, quomodo enim cum eo agere quid poſſemus, qui ipſe quod agit non intelligit. §. 8. *J. de inutil. ſtip. l. 1. §. 12. ff de O. & A.* quod autem hic obtinet de furioſo, idem & procedit in prodigo, cum & is exemplo furioſi curatorem recipiat. *l. 1. pr ff. de Curator. furioſ.* dand. & in pupillo cum nec is ullum negotium rectè gerat ſine tutoris adhibita authoritate §. 9. *I. de inutil ſtip. l. 5. ff. de R. I.* Contra minorem etiam adjectum curatorem non habentem hæc actio intentari nequit, cum quoad lites, licet non æq; in aliis negotiis, hunc accipere neceſſe habeat §. 2. *I. de Curatoribus.*

XXXIV. Perdit inſuper hæc actio officium ſuum, quando donationis cauſa adjectio facta eſt, nihil enim habebit tunc actor, de quo efficacem actionem inſtituat, cum perfectæ donationes temerè revocari non poſſint. §. 2. *I. de donat. tot tit. C. de revoc. donat.* ut habeat neceſſe ex poſt facto relinquere apud adjectum, de quo in ipſum conferendo liberam erat poteſtas ab initio, ſi tamen juſtæ ſubfuerint cauſæ revocandi, fieri enim hoc poſſe indicant verba dicti §. 2. temerè revocari non debent, dubium non eſt revocata donatione,

 inſtitui

inſtitui poſſe actionem ad repetendum ſolutionem in adjectum factam. Poſt mortem adjecti nulla etiam cum heredibus inſtituetur actio, quia enim eis non recte ſolvitur *l. 55. ff. de V. O.* quid erit quod repeti poſſit, quod ſi vero ad eos jure ſucceſſionis pervenit ſolutio, aut lis cum principali conteſtata, recte contra eos tranſit actio. *§ 1. I. de perpet. & temp.* teneturq; in ſolidum ob dolum malum defuncti. *l. 12. ff. de O. & A.*

XL. Quia autem ex mandato ultro citroq; naſcitur actio. *l. 19. ff. mandati.* Adjecto contraria mandati actione agendi facultas præcluſa nō eſt, proinde ſi forte qui eum adjecit ſolutum non velit recipere, aut ſi quid veniet nomine impenſarum bonæ fidei circa ſolutionem, erit contraria mandati actio *l. 12. §. 9. ff. mandati.* nec ſolum id poterit in actionem hanc deduci quod occaſione mandati abeſt, ſed uſuras etiam conſequetur *d. l.* Sed hæc hactenus in hac de adjecto materia attigiſſe ſufficiat. Heus Amice Lector! Poſtquam hæc ſcripſeram, per amicam manum facta mihi copia eſt videndi multum deſideratum diuq; quæſitum Benvenutum Stracham JCtum, qui ſuis de Mercatura deciſionibus & tractatibus variis, quinq; partibus abſolutum inſeruit de Adjecto tractatum quem omninò vide ſis.

ADDITAMENTA.

I.

SEqueſtratio judicialis ſeu neceſſaria regulariter fieri non poteſt.

2. *Poſſeſſio rei depoſitæ non tranſit ad ſequeſtrem.*
3. *Fidejuſſor qui ſe obligat cum juramento à beneficio excuſſionis non excluditur; aliter ſi ſe ut principalem obligaverit.*
4. *Primus adverſarii ictus non eſt expectandus.*

Gratia ſit Patri cum Gnato Spirituiq;.

F I N I S.